QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-secundâ Januarii 1711.

M. JOANNE-NICOLAO DELAHIRE, Doctore Medico; & è Regiâ Scientiarum Academiâ, Præside.

Estnè Animalium robustissimus Homo?

I.

HOMO virtutis & vitii quasi mistura quædam est; raro peccaturus, si sciret uti præsentibus; cùm futura præsentiat, nec præteritorum sit immemor. An monstrum propter vitia? An Naturæ miraculum ob eximias virtutes? Mundi est Epitome. Quod eo sensu tantùm verum est, quia nihil habet ultrà leges motûs omnibus creatis in genere impositas. Hic est, quem vix capit Orbis; quem nec terret ensis, nec Mare naufragum, nec sævus ignis; audax omnia perpeti. Solus inter tot animalium millia, cui Ratio concessa sit; solus omnium facilè Princeps; in terrâ veluti Deus. Corpus ejus non Animi carcer immundus. Divinæ particula auræ sentinam non incoleret.

Unde nil majus generatur ipso;
Nec viget quicquam simile aut secundum.

Procul hinc morosi Humanæ gentis osores, qui Naturam Humanam ubiquè semper accusant, & omnis vitii insimulant, neutiquam perpendentes, id fecerit integra Natura, an corruptus habitus? Suæ sicuti felicitatis opifex Homo est, sic & miseriæ. Vana ergo quæ congerit in semetipsum maledicta. Ad populum phaleras credideris, Parentes olim multò quàm nunc meliores extitisse. Innata est Homini virtus: vitium identidem irrepit. Quocumque in populo sunt Catilinæ similes. Optimi nonnunquam pessimos generant; & ab ingeniosis stolidi creantur. Multa patimur errore parentum; multò plura proprio. Innumeros gula perimit. Longæ vitæ parens est sobrietas. Ergo totus Homo non est à Naturâ morbus, sed à nativitate, vel potiùs à pravâ vivendi ratione. Neque eum verè miserum credas, qui mori nolit. Tanta est cum animi tum corporis Hominis virtus, quanta valet fluvios summis montibus imponere, marique frenum injicere. Proteus esse solet quidquid lubet; ipsamque potest arbitrio suo Fortunam temperare. Quid Mortalibus arduum? Solius Hominis sunt Artes ferè innumeræ. Sua cuique Animalium ingenita virtus. Proprietas unius alterius non est. Hominis paucissima non sunt; unitis scilicet viribus animi & corporis. Hinc Hominis in Animalia dominium. Tantò corpore præstat Homo mutis Animalibus, quantò Balæna Britannica major Delphinum superat. Præter dexteritatem illius, quæ summa est, accedit aptitudo corporis operibus ferè innumeris atque adeo variis, ut in nullo alio animali par sit. Quippe quadrat Homo machinationibus iis, quibus & Animalia. Eademque simpliciori machinatione, quandoque & majora efficit. Certè omnium Animalium robustissimum genus est, quod ubique terrarum & diutiùs vivit, laboresque reverà caballinos, seu improbos, duros, arduos, ac perennes constantiùs sustinet.

II.

ROBUR arboris glandiferæ nomen est, cujus durissimum est meditullium & firmissimum. Inde ad quaslibet alias res translatum vocabulum. Quapropter non minùs æquivocum, quàm multiplex. Pertinet enim ad res aut animatas aut inanimatas, spiritales aut corporeas. Harum omnium robur diversum quid audit. Aliud est animi robur, aliud corporis; aliud ætatis, accusationis aliud; aliud

250

quoque robuſtus annus eſt, & robuſtum malum. Et id, quod in corpore animalium robuſtum dicitur, magna diſcrimina recipit. Aliud internum, aliud externum eſt, aliud totius corporis, aliud partis eſt. Sed in quo poſita ſit interni roboris eſſentia non ita conſtat. Pertinet enim ad rem priùs indolem corporum noſſe, ab effectibus potiùs detegendam, quàm à cauſis reipsâ exploratam. Ideò ingenitum intimis corporibus Animalium robur, à principiorum diſpoſitione peculiari, nexu videlicet valido, ſolidâ conſtitutione pendere conjiciendum eſt, potiùs quàm affirmandum. Externum autem robur, quale nimirum in motibus membrorum Animalium animadvertitur, muſculorum, qui totidem funes ſunt, numero, ſitu, figurâ; oſſium, quæ vectes, ad ſe invicem alligatione, ſtructurâ variâ continetur. Hinc ſubſunt quædam virtutes Animalium nonnullis corporibus, quæ in aliis non ſunt. Sic aves feruntur alis per aëra; ſic piſces caudâ natant; tibiis ſaltant pulices & locuſtæ; figurâ anteriùs protensâ & pondere trahunt onus Jumenta; ſic roſtro ſues vertunt humum, &c. Rectiùs idcirco muſculos & oſſa roboris inſtrumenta, quàm genuinam ejus cauſam nominaveris. Hæc ſiquidem in ſanguine, aut ejuſdem ſpiritu, aut in utroque ſimul quærenda eſt. Etenim eâdem remanente causâ, quæ muſculos movet, ſi aliter quàm erant, oſſa & muſculi componantur, fiet ideo conamen aliud ac antè, ſcilicet aut majus aut minus. Quapropter vide ſis, ne robuſti nomine deluſus nihil aliud præter externas Hominum atque Animalium vires dimetiaris, nullâque habitâ ratione molis eorum ac figuræ calculum tuum malè ponas. Scrupuloſiùs in rem animum intendere neceſſum eſt. Scire enim licet, id omne ex Animalibus robuſtum eſſe, quod aliquid pati valet, aut ferre. Ita nullum eſt penitus expers roboris. Sed quò majus duriuſque eſt id, quod patitur Animal, eò majori donatur robore; quò verò diutiùs illud fert, eò firmiori ſolidiorique. Hinc robuſta minùs quàm Jumentorum genus; conſtat eſſe inſecta, maximè quæ anni ſpatio oriuntur & occidunt. Ergo non unica in Animalibus & in Hominibus res eſt, quæ eorum robur ſtatuere debeat. Convenit enim expendere quæ & qualia ſoleant pati & ferre, & quandiu valeant. Quæcumque verò in Animalium corpus agunt, hæc illis ferenda veniunt. Ideo requiritur ut vis vi opponatur; ſin minùs nihil valerent perpeti. Unde & virtute opus eſt ad ſuſtinendum aërem, & ad ferendos durandoſque labores; vita quoque manere non poteſt, ni ipſius vitæ effector virtute valeat.

III.

NATURA tantùm tribuit Humano generi, ut nulla ſit pars Orbis, quæ recuſet homines ferre, ſeu ultima illa ſit, ſubjectaque Polo; quibus in campis nullæ arbores æſtivâ recreantur aurâ; ubi nox una & una lux totum annum bipartitò dividunt; ſeu ſit ſub curru Solis; aut ſit Occidens, perpetuos qui parturit imbres; aut Oriens, qui ſerenus & ſalubrior. An tu inquiſieris in Orbem novum, aut illuc, ubi Dædalus alas exuit; aut naufragus premas navim, & periturus eas in ignotam terram; aut ſcandas ardua montium juga (horrida loca) in quibus non modò quid recreet, ſed & quid nutriat ſaxa negant; inibi, quaſi ipsâ ſtupente Naturâ, Homines vivere, adoleſcere & ſoboleſcere videas. Dic igitur quibus in terris deſideretur Homo. Idem ſuſcipit ingentes corporis labores, tot quot Artes eſſe dixeris: tantos verò quantos nec credat, niſi qui viderit. Vertit Arator humum, cavatque foſſor; ſiccat lacus alter; alter, impoſito veluti monte preſſus ſub pondere ſudoribus liqueſcit. Reſpice Artifices ætatem ſuam inter duros labores conſumentes; Ærarios, Ferrarios, Plumbarios, Cæmentarios, Lapicidas ſub terris duce factitio Sole operantes, Marmorarios, Malleatores omnes, Coriarios, Piſtores, Lanios, Nautas, Ruricolas, Lignarios denique omnes. Mons erat ubi plana vides. Priùs unda fuit, ubi nunc umbroſa nemora ſunt. Saxa volvunt revolvuntque, eademque cælant; tollitur in altum ſaxea moles; ſurgit ingens Ædificium opificum laborante dorſo. Hîc trabes & ligna dolant; illic arbores ferrâ ſecant, aut dividunt in longum, laboris operoſiſſimum genus. Alibi Cyclopum

genus horrendum habitare credideris. Ardentes ſtant alii ad flammas, ut metalla tractent. Alii ingentia ferri pondera forcipibus verſant, in hæc malleos vibrant in numerum; ictibus repetitis terra ſtrepit cum incude. Hinc ardet metallum fornacibus; illinc liquatum rutilantibus fluit rivis; fiunt pelves, ſartago, patellæ. Talibus incumbunt diluculo, nec deſinunt, niſi nox ſubierit. Auri ſacra fames omnia ſuperat. Subit Homo terræ penetralia, unde fodiendo aurum eruat; ac tamquam Plutonis Regnum invaſurus, ad centrum uſque penetrare avet: obſtant undæ & vapores tetri, quibus nonnunquam ſuffocatur. Sic Erebi limen, quod toties vivus tentavit attingere, mortuus tandem attingit tranſilitque. Et duriſſima militia eſt. In caſtris pervigil miles, denſiſſimis imbribus madeſcens, accubans terræ, cœno oblitus, fame premitur & armis. Ad remiges, uti olim ad piſtrinum damnantur nonnulli. Quidam foricas purgant, nec abhorrent à quâlibet eluvie. Tota Hominis vita labor eſt. Duriores, proportione corporis labores exanthlat Homo, quàm aliud animal, quia diuturniores qui per longius vitæ curriculum durant, minúſque intermittuntur.

IV.

ANIMALIUM aliis calida Regio competit, aliis frigida, aliis ſicca, aliis humida. Hinc ſedet ad ripas Nili Crocodilus. Nilum fugit frigidioris auræ cupidus Caſtor, & ſibi conſtruit caſas in margine lacuum & fluviorum ſeptentrionalium. Num juvat Camelos Angliam habitare? Num ſeptentrionale cœlum ſuſtinet Elephas? Num Leo Lybici campi incola? Feroces Apri, Lupi, Damæ & Cervi, quæque ſylveſtrem animum gerunt, nemora & loca deſerta habitant. Aſini in Italia, Hiſpania & Gallia frequentiſſimi Sueciæ frigoribus ſuccumbunt. Nec Alce vivit in Africâ, imò huc advecta moritur. Patitur Homo cœlum quodlibet, ſerenum aut nubilum, humidum aut ſiccum. Pondera graviſſima fert Camelus; non acutiſſimum ulterioris Septentrionis frigus. Homo nuſquam non eſt. Portandis aut trahendis oneribus dicata ſunt Elephas, Caballus, Aſinus, Mulus, Bos, &c. & in Orbe novo grande Arietinum genus oneribus ſupponebant. Elephas ratione molis & corpulentiæ cæteris majora præſtat. Quæcumque Jumenta ſunt, onus aut trahunt aut portant. Hoc fit muſculis, numeroſioribus fibris, poſitu & figurâ valentioribus. Illud cùm muſculis tum pondere animalis. Cuncta poſterioribus ungulis innixa Animalia trahunt. Centrum gravitatis, ut aiunt, totum tunc antrorſum pendet. Hoc autem removent ab unguibus poſterioribus muſculi clunium; tuncque animalis corpus vectis rationem habet. Unguli poſteriores ſunt Hypomoclion, reliquum corporis vectis eſt; & pondus animalis potentia eſt. Ideo quò ponderoſior longiorque eſt corporis moles, eò majori conamine valet animal. Hinc Eſſedarii ſolent, ut potentiùs agant Jumenta, horum dorſo inſidere; tunc enim pondus addunt eorum ponderi. Sed corporis pondus ipſiuſmet corporis animalis robur non eſt, licèt pondere animalis ipſius niſus ſit major. Namque Hominum humeris impoſito pondere, illi cujuſlibet animalis in trahendo conamen poſſent adæquare, tum etiam ſuperare. Ergo in omni trahentium Jumentorum niſu pondus animalium æſtimandum venit. Quòd ſi verò expendatur Hominum atque cæterorum Animalium vis in ſuſtinendis ponderibus, patebit his, proportione corporis, minus eſſe virium, quàm illis. Circiter octingenta libras pendet Equus aut Mulus ratione corporis Jumentorum fortiſſimus; Homo centum & quinquaginta. Hic ducena geſtat, Bajuli trecena & plus, licèt duobus dumtaxat fulcris, ſcilicet pedibus innitantur. Sed nec Equus nec Mulus eſt, qui id quod pendet geſtare queat. Ergo proportione corporis longè minus ponderis tollit Jumentum, quàm Homo. Ad labores duriſſimos natus eſt equus: non tamen duriores neque longiores ſuſtinet, quàm Homo. Hic 40. annorum ſpatio laboribus continuis incumbit: ille viginti annos rarò durat: citiſſimè verò perit, ſi machinæ aptatus ſucceſſibus repetitis fatigetur. Quin & experientiâ quotidianâ compertum eſt, his laboribus Jumenta defeciſſe, quos Homines poſtea ſine noxâ ſuſtinuere. Multa fabulati ſunt de Animalium ætate. Heſiodus primus eſt, qui de ſpatio vitæ Animalium aliqua prodidit. Cornici novem Hominum attribuit ætates;

quadruplum ætatis illius Cervis, id triplicatum Corvis. Quid non retulit idem de Phœnicis ævo ac Nympharum? In hoc ſanè ridendus, quòd, cui vita nulla data eſt, ætatem tribuerit. Quis nunc credet, uti refert Antiquitas, Homines eſſe ſine cervice, ſine ore, halitu tantùm viventes & odore, quem naribus ſpirant? Ergo ſæcula Corvos vivere cantent Poëtæ, credant aniculæ. Quæ palam ubique proferuntur de Cervorum ævo, aut experimentis carent, aut dubiis innituntur. Neque eorum grandiſſima cornua, ita certa ſunt annorum indicia, ut artis opera, & additamenta, aut ſupplementa eſſe non poſſint. Hominis ætas nulli non cognita eſt. Notum eſt ultra centeſimum annum nonnunquam progredi. Sed non compertum eſt magis, Cervos aut Cornices longiùs hominibus ætate procedere, quàm pro certo habetur, Homines iſtis Animalibus diutiùs vivere.

V.

ILLI neceſſum eſt magnum ineſſe robur, qui tandiu inter tantos ſudores durare valet: majus autem quò diutiùs. Etenim ad robur faciunt laboris varietas, quantitas, duratio, & quidquid aliud patitur Homo. Ergo hoc vel illud Animal robore non ſuperabit Hominem, propterea quòd aliud ubique vivere poterit, aliud æquè duros labores experietur, aut diuturnius aget ævum. Ex his alterum ſine altero nihil facit ut robuſtius habeatur. Sed neque hæc Homini dumtaxat ferenda ſunt. Accedunt & plurima alia, quæ vires ejus frangunt. Hæc licèt ſolius Hominis ſint, non minùs tamen eum ſolvunt. Sollicitant ambitio & magnarum opum fames. Num alio genere furiarum inquietatur? Odit, amat, timet, &c. In noctis ſpatio durant hæc vulnera. Anxietas animi corporis facit ruinam. Studiumque eſt ſanitatis calamitas. Venus debilitat hominem; ipſe tamen toto anno coit. Neque hyemis frigus, ut in aliis Animalibus, reſtinguit cupidinem. Hodie obrutus mero, manè reſurgit incolumis. Nemo non litigat cum corde ſuo. Nulla Hominis pars labore vacat. Sanguinis & humorum motus, & quæcumque exteriùs afficiunt corpus, ſanguinem in dies deteriorem faciunt. Ergo quotidie deteritur Hominum atque Animalium robur. Illud quidem fovent alimenta, non reſtituunt. Deperditione deterior ſemper fit reparatio. Hinc mortis neceſſitas. Hæc citatior Animalium aliis, aliis tardior, prout deperditio celerior. In ſanguine perpetua fit partium, & motûs, & exterarum rerum in ſe invicem pugna, quâ depravatur & ſenſim perit laudabilis ejus temperies. Quòd ſi ſui ſemper ſimilem conficeret, nec ullum laboris genus Hominem vinceret, nec morbus, neque mors illum manerent. Itaque quò diutiùs impetum illius pugnæ ſuſtinere valet ſanguis, eò valentior dici poteſt. Sed qualis eſt ſanguis, tale corpus fieri neceſſum eſt. Ergo ubi ille valentior eſt, hoc robuſtius quoque eſt. Aſt ubi robuſtius corpus eſt, tunc & duriora, & difficiliora, & magis diverſa patitur. Sed cæterorum Animalium ſolus Homo Cœlum patitur magis inæquale, magis varium, durioreſque, & operoſiores, & longiores corporis labores conſtantiùs tolerat.

Ergo Animalium robuſtiſſimus Homo.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Salvator Cluſcard.	*M. Claudius Vergne.*	*M. Philippus Douté, Facult. Decanus.*
M. Claudius du Cerf.	*M. Ludovicus Guillot.*	*M. Amandus Douté, Sereniſſ. Duciſſæ Biturigum Med. prim.*
M. Joannes-Baptiſta Enguehard.	*M. Joannes-Baptiſta Fermelhuis.*	*M. Franciſcus Goüel.*

Proponebat Pariſiis ELIAS COL DE VILARS Rupifocaldenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1711.

Apud viduam Franciſci Muguet Typographi Regis. 1711.